

www.e-rara.ch

Tractatus de ecclesia

Du Plessis-Mornay, Philippe

[Genevae], 1599

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1096>

In hanc secundam editionem praefatio

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]


IN HANC SECVNDAM
editionem

PRÆFATIO.



*Q*UUM primum Patrum nostrorum aetate aperte, Verbi Divini auctoritate, aduersus Corruptelas, & Traditiones Romanae Ecclesiae facta est Protestatio: tum verò statim prodierunt Eckius, Cochleus, Prierias, aliique primi apud eos nominis Doctores, eas, si possent, Scripturis Sacris propugnaturi. Et quoniam manifesta non occurrebāt loca: si quæ in Scripturis obscuræ voces, si quæ Allegoricè exponi posse viderentur, quæ ad illarum tuitionem facerent, perquirebant. Dicitabat quippe illis cōscientia, & ipsa Christianæ doctrinæ natura edocebantur, nulli articulo ad obligandam Fidem nostram in ea posse locum assignari, qui non sacrarū Scripturarum fundamento innitatur. Quod si quæ essent quæ fucari & colorari nullo modo possent, qui inter eos erant precipui, ingenuè facti sunt. & temporis progressu, & hominum vitio in Ecclesiam, sicut & in alia omnia corruptionem irrepisse: examine & reformatione opus esse. Hinc illæ Moderationes propositæ in primis illis de Religionē

P R A E F A T I O.

ligione velitationibus, quibus in Germania interfuit Imperator Carolus V. Reformatio, quam illi pollicitus est Papa Clemens VII. quum Bononiam uterque conueniunt: Quod denique Cardinales tres, Caietanus; Polus, & Contarenus deputantur, qui de iis quae in Ecclesia in Reformationem cadere videretur, monerent. Sed. quum Praesules illi (nec enim ignorantia peccabant) plurima capita ad fidem spectantia, quibus prompto & vero, non autem fucato opus esset remedio, annotassent, eaque ad Papam, & Cardinalium Collegium retulissent, alia prorsus hinc emerfit Conclusio, nihil omnino reformandum; Quoniam si reformarentur pauca, Reformationem urgentibus non fieret satis; si omnia ad viuam resecarentur, Romanae vulnus infligeretur Sedi; Denique, siue in multis, siue in paucis fieret Reformatio, facile quisque crediturus esset, si in quibusdam capitibus erratum sit, errorem etiam in alia irrepere potuisse. Confestim igitur stylum mutant Doctores Romani, aliaque prorsus incedunt via. Posthac de Reformatione ex Scripturis nullo verbum; quin potius nulla Reformatione, nullo examine opus esse asserunt: Ecclesiam enim Romanam Scripturis esse superiorem, & auaque partem fuisse; *Ἰεσοδοδολόγος*, & prauaricatores censendos esse eos qui se iudicio in Religionis controuersis Scripturae submisisset; Omnesque eas quae tum agitabantur controuersias uno hoc verbo

PRÆFATIO.

decidendas; Ecclesiam Romanam errare non posse; Error hic eò grauior, quod errores omnes præteritos sub se contegit: & quotquot posthac Papæ cuderint, errore eximit; Eoq; periculosior, quòd omnia Ecclesiæ Romanæ ulcera in gangranam vniuersalem conuertit; in omnibus suis malis sensus experte facit; & quod hinc consequitur, aduersus omnia remedia obfirmatam. Error, in summa, qui omnibus sæculis Ecclesiæ fuit lethalis; Primo nostro Parenti, qui verbis potius Diaboli, qui eum Deum Immortalem fore pollicebatur, fidem habuit, quàm Dei minis, qui, si non fuisset obsequutus, mortem æternam interminabatur; Ecclesiæ, sub primo Templo, quæ reprehensiones Prophetarum hoc perpetuò excipiebat responso, Se esse Templum Dei; Legis Conseruatricem; se nec perire, nec errare posse. Hæcque posita basi, Idololatriæ se prostituit, & inde fit vt in captiuitatem ducatur BabyloNICAM. Ecclesiæ etiam, sub secundo Templo; quæ adeo à Glossis suis pendet, vt Textum negligat; à Traditionibus, vt Dei præcepta repudiet; ab anticipatis Opinioribus, quas conceperat de terrestri Regno, vt Cælesti Regno priuetur, vt eum qui illud ei conferebat, Christum nempe, cruci affigat.

Hocque sensu accipienda est illa Epistola Papæ Pauli IIII. ad Gropperum Cardinalem

Ger-

P R A E F A T I O.

Germanum, in qua eum, & Pighium reprehendit. Hunc honorem dicit Doctoribus Italis, quos magno haberet numero, fuisse deferendum, qui ad decidendas has Controuersias essent exercitatisissimi, & qui tamen iam non nisi iusta de causa silerent. Quoniam, ait, iminoramini in propugnandis Corruptelis & doctrinis, quas nos quoque damnamus, quæque hac non possunt defendi via. Adeo ut quum mala Conscientiæ stimulis conuicti, debilitatem suæ doctrinæ in controuersis Capitibus agnoscerent, ad hunc Articulum, Auctoritatis nempe, & ἀναμάρτιας Romanae Ecclesiæ, tanquam ad inexpugnabilem Arcem confugiendum statuunt; ut prominentibus ex ea Propugnaculis munitiones omnes Babylonis suæ spiritualis tuerentur & protegerent. Arx tamen illa primo quoque impetu Scripturis potuisset expugnari. Quæ causa est cur illas explodant, excommunicent, atque ab hac disputatione arceant. Eisque has execrandas blasphemias tanquam vallum opponant; Ambiguas nempe esse, Imperfectas, Insufficientes. Aggrediemur igitur illam ex supremo & eminentissimo veteris Ecclesiæ loco, quæ undecumque supereminet, eamque oppugnabimus magis receptis & probatis huius Ecclesiæ Canonibus; ipsius Doctorum interpretationibus; Patribus celebrioribus; Sicque

Pauli 4.
Epistola
ad Cardinalem
Grapperrū,
data Romæ,
Cal. Decembris
1556.

P R A E F A T I O.

eam proculdubio vi capiemus & expugnabimus, priscis illis seculis una nobiscum conspirantibus, quibus seculis vera Ecclesia aduersus adulterinam hanc sic protestatur; Quae sibi tribuit nullo modo ipsi competere, eaque se in Scripturarum commodum eiurare, ad quarum pedes se prosternat, quibus se in perpetuum addicat, & si quam habet auctoritatem, integritatem, potestatem, se eis omnia accepta referre pronuntiet. Adde quod nobiscum & ante nos exclamat; Hanc esse vocem Filij perditionis, non autem suam: qui Ciuitatis clauis confinxerit; in eam se ingesserit; in eam irruperit; opitulante illi nocte Ignorantiae; conspiratione ab eo facta cum Principe tenebrarum; adeo ut in medio Christi Templo in ipsius locum se adorandum exhibuerit, ut Vicarium vniuersalem Dei; spiritualem, & temporalem Monarcham; Mundi Regem; Caput Ecclesiae.

Hac causa, me ante viginti annos impulit, ut hunc Tractatum, in quo ex professo ago de Ecclesia, *καθ' αὐτὸν ὄν* conscriptum, in lucem ederem. Inuitans, imò adiurans, si quis hoc nostrum Scriptum improbaret, ut illud sincere modeste, singulaque ipsius capita, ad ampliores Christianarum animarum illustrationem, impugnet. Eoque potissimum tempore, quo validissima debere esse videbantur Aduersariorum argumenta: Toti enim adhuc tremebant & horrebant

P R A E F A T I O.

bant Fideles Tragædiarum recens in hoc Regno editarum recordatione. Quis ergo nostræ Professionis non optasset tum (humano more loquor) ea fuisset argumentorum Aduersariorum vis, ut tuto ad Romanam Ecclesiam, tanquam ad certum & salutarem portum, se posset cum quæta Conscientia recipere? Carnei enim sumus, sicut & reliqui, iisdem atque ipsi passionibus & affectionibus obnoxij: qui de honoribus, facultatibus, voluptatibus retinendis, & de iisdem, quum amissimus, recuperandis, laboramus: nisi quatenus nec salutis nostræ scientia, officij nostri conscientia, aut pellunt, aut cohibent, Scientia aduersus Sophismata & technas Sathane: Conscientia, aduersus Mundi tentationes. Hinc fit, ut perpetua in nobis sit lucta. Caro illa nostræ non vult persuaderi, superari: sed persuadere cupit, & vincere sanctorem animæ nostræ partem, ut facilius optatis potiatur.

Nectamen toto illo temporis spatio fieri potui voti compos: adeo ut ex Aduersariis aliquis hoc meo laceffit Scripto se ad illud impugnandum accinxerit; etiamsi me inscio in omnes ferè linguas traductum sit. Accidit quidem, ut nonnulli, non confertis dextris, sed eminus, & extra teli iactum in mediis campis expatiantes, quædam tantum capita, hinc delibata, ad sermonis seriem, & argumentorum vim quoquo modo eleuandum, suis scriptis inferuerint. Alij quo-

P R A E F A T I O.

que in vario hominum cœtu disseminarint, non ex ipsis fontibus hausta fuisse testimonia, sed alterius fidei creditum, adeo ut, vel falso, vel contrario prorsus sensu citata sint: & tamen verbis suis fidem haberi, quàm quod intentabant falsi crimen iudicio persequi maluerunt, ne & ipsi rei minus probata iudicium subire cogerentur. Qui tamen utrique (sunt enim in Romana Ecclesia ad Ecclesiastica munia vocati) ad ampliorum eorum qui ipsorum curæ demãdati sunt institutionem, omnia argumenta, omnes paginas, quasi presso gradu sigillatim persequi, ut erant rogati, debuissent.

Hæc igitur me ratio impulit, quum nihil tãdiu expectando profecissent, ut huic operi denovo manum admouerem. Et ut, quæ in animis multorum de his impressa esse poterat opinio, penitus extirparetur, ad marginem Conciliorum, & Græcorum, Latinorũque Patrum contextus (aucto etiam eorum ad maiorem confirmationem numero) apponendos curavi. Et quoniam non aequè omnes in lingua Græcæ cognitione versati sunt, magis receptas, & vsitatas versiones sequutus sum. Et tamen in beneficij loco panam, si non graue fuerit, & molestum Lectori, authores qui citantur consulere: Fere enim confido (& de eo mihi testis est Conscientia) ut & quæ præcedunt & quæ subsequuntur, maius lumen & pondus huic nostro argumento allatura sint,

P R A E F A T I O .

sint, quàm quum loco mota, quasi truncata pro-
feruntur. Deum testem appello, hunc unum mi-
hi fuisse finem propositum; Ipfius nempe glo-
riam; veritatis ipsius illustrationem, & Fide-
lium salutem. Rogo etiam, vt quicumque hoc
meum scriptum responso oppugnandum suscepe-
rint (ad quod iterum Aduersarios ex animo
inuito) ad eundem finem omnem suam operam
dirigant; quod ex charitatis lege facturos esse
confido. Nono Calend. Sept. anno 1598.

